



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

36. An peccatum odij adversus proximum non sit peccatum unius speciei,
sed plurium, ita ut poenitentes in confessione teneantur explicare mala
volita, v. g. si fuerint circa facultates, vel circa ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

De Circumstantiis aggrau. Ref. XXXIV. 365

hæresim non augeri, sed potius minui, & omnino deficere speciem hæresis: quod etiam à Philosophia naturali alienum videtur, nam multiplicando calorem, non deficit calor; & à Philosophia morali, nam multiplicando furta, non deficit furtum: idem dicendum est, circumstantiam apostasiæ non esse in confessione aperendam.

confessione teneantur explicare mala volita, v.g. si fuerint circa facultates, vel circa personam, vel circa honorem, &c? Ex part. 1. tr. 7. Ref. 30.

RESOL. XXXIV.

An qui peccatum hæresis, vel superstitionis commisit, teneatur explicare in confessione qualitatem superstitionis, vel hæresis? Ex part. 1. tr. 7. Ref. 46.

§. 1. **R**espondeo negatiuè, quidquid in contrarium aliqui asserant: & ita docet Reginaldus in *praxi, tom. 1. lib. 6. c. 4. n. 2. 14.* vbi ita ait: [Cum diuersitas specifica peccatorum fuerit tantum in genere naturæ; tunc, quia malitia moralis in illis est eiusdem speciei, nihil est opus diuersitatem declarare: vt, si, v.g. quis peccauerit in diuinando, vel prolabendo in hæresi, satis est, si dicat: Toties peccavi peccato diuinationis, neque necesse est addere, semel per pyromantiam, iterum per hydromantiam, ac demum per necromantiam. Item, Toties lapsus sum in hæresim, nec necesse est dicere, Semel lapsus sum in hæresim Lutheranam, iterum in Calvinianam, &c. quia in talibus non est diuersitas specifica moralis, sed tantum physica.] Ita ille. Et ante illum doctissimus Sotus in *4. sentent. dist. 18. q. 2. art. 4. concl. 6.* quidquid, vt diximus, in contrarium asserant aliqui, vt Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 2. c. 3. 1. num. 39.* Valentia *tom. 3. disp. 1. q. 10. punct. 3.* & alij.

RESOL. XXXV.

An diuinationes differant specie, & sint in confessione aperienda?

Et an, si quis per expressum pactum cum Demone diuinaret, id esset exprimendum in confessione? Ex part. 1. tr. 7. Ref. 66.

§. 1. **R**espondeo negatiuè, vt alibi sæpius supra diximus: quia non sunt species omnino diuersæ in genere moris. Vnde non est necesse confiteri, an diuinatione fuerit in inspectionem auium, lineamentorum, &c.

2. Verum est, quod Syluius in *D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 3.* putat, quod si per expressum pactum cum Demone quisquam diuinaret, id esset exprimendum in confessione: quia, licet eiusmodi diuinatione non differat specie à reliquis, habet tamen circumstantiam notabiliter aggrauantem: multò enim grauius est, Demones expressè invocare, quàm aliqua facere, quibus signum sit, vt se Demones ingerant. Ita Syluius. Sed tu contrarium tene: quia circumstantiæ aggrauantes, vt dictum est, non sunt necessariò in confessione aperienda: ergo, &c. Et hæc dicta sufficiant circa præsentem Tractatum de circumstantiis aggrauantibus. Quæ quidem, vt dixi, non sunt necessariò in confessione aperienda, licet laudabiliter quis faceret, si illas aperiret, nam hoc conferret ad meritum, & ad emendationem propter verecundiam. Sed nolo imponere onus, vbi non adest.

RESOL. XXXVI.

An peccatum odij aduersus proximum non sit peccatum vnus speciei, sed plurimum, ita vt penitentes in Tom. 1.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet P. Suar. *tr. de char. disp. 6. sect. 2. n. 2. & 3.* & Syluius in *2. 2. q. 34. art. 6. queritur 2.* Et probatur, nam afficere proximum iniuria in vita, vel in fama, sunt peccata specie diuersa contra iustitiam, propter materiæ diuersitatem: ergo pari modo efficient diuersitatem in odio. Denique, quod ad mores spectat, (subiungit Suarez,) non dubito, quin talis diuersitas sit aperienda in confessione. Et sic, stante ista opinione, quando Penitens confitetur, se odisse fratrem, deberet Confessarius interrogare, quoniam genere odij: v.g. an malum volitum fuerit circa honorem; vel famam seu vitam, &c?

2. Sed contraria opinio probabilis etiam mihi videtur, quam docet Bonac. in *tr. de leg. disp. 3. q. 4. punct. vlt. §. 1. n. 10.* & Ledelma in *sum. tom. 2. tr. 3. c. 6. concl. 8. fol. mibi 62.* vbi ait: *El aborrecimiento del proximo, siempre es peccado de vna misma especie, aunque el hombre desee varios, y diversos males al proximo, como son matarle, y quitarle la hacienda. Porque siempre dessea estos males de baxo de vna misma razon, que es el aborrecimiento del proximo.* Igitur, secundum hanc opinionem, sufficit, vt penitens dicat, se toties odisse proximum; & non opus est explicare, an illud odium versaretur circa famam, diuitias, & personam; quia non videtur eadem ratio odij, & aliorum peccatorum, quorum obiectum materiale explicandum est in confessione; nam odium in suo esse non solum specifico, verum etiam individuali, constituitur potius ex motiuo, quam ex obiecto materiali, cum idcirco velimus alicui graue malum, quia nobis displicet, &c. Ad argumentum Suarez respondetur, quod licet illa mala volita differant specie, tamen in nostro casu optantur sub vna, eademque ratione formali, quæ est odium proximi. Circa præsentem materiam vide Lorcam in *2. 2. q. 34. a. 3. n. 3.* Turr. in *2. 2. disp. 91. dub. 1. in fin.* & alios. Inuenies plura in *tertia huius Operis parte, tr. 4. de Sacr. * ref. 67.*

Sup. hoc sup. in fine §. Sed licet Ref. 18. & in §. not. seq.

** Quæ hic est inf. Ref. 105. §. in Ref. 30.*

RESOL. XXXVII.

An iactantia de peccato mortali sit in confessione explicanda, species peccati, & circumstantia?

Et quid, si iactans complacet se de illo peccato?

Et recitanter aduertitur, quod licet verba contumeliosa sint diuersæ speciei, eo quod per illa obijciantur proximi defectus speciei diuersæ, non tamen sunt peccata mortalia contumelia specie distincta. Ex part. 3. tr. 4. Ref. 160. aliàs 161.

§. 1. **P**ercussit quis, v.g. clericum, & de hoc postea iactatur; queritur an sit confitenda circumstantia Clericatus, vel si quis iactauit se de peccato cum coniugata, teneatur fateri circumstantiam coniugij, sed an sufficiat se accusare toties se iactasse de peccato mortali? Fatendum esse in tali casu speciem ac circumstantiam peccati tenet Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 1. c. 1. n. 13.* vbi citat Lopez, & Rodriguez; sed isti loquuntur quando iactans complacet se de illo peccato, & tunc non est dubium esse fatendam speciem, & circumstantiam peccati.

2. Igitur magis probabiliter contra Sanchez puto cum Nauarro penes ipsum, in tali casu sufficere, si penitens se accuset de peccato iactantiæ in re mortaliter peccaminosa. Et ratio est, quia deformitas mortalis in hoc peccato iactantiæ, sumitur ex eo quod tanquam medium ad humanam gloriam comparan-

Sup. hoc in duabus Ref. seq. & infra in Ref. 106. §. Nota vero, & seq.